

2. Rerum naturam per se mechanice esse explicandam; neque in plantis neque in brutis esse principium vitae, sed esse machinas mirabiliter dispositas; ultima rerum elementa esse atomos. Iam vero res omnes praeditae sunt quibusdam qualitibus, et existit mutua actio inter res; immo essentia entis non est in eo, ut percipiatur, ut Berkeley voluit, neque in absoluta positione, ut Herbart docuit, sed in quadam relatione ad alias res; est igitur quaedam unitas realis in multiplicitate. Ut autem haec rerum natura intelligatur, requiritur, ut res i. e. ultimae atomi, ex quibus constant, sint *substantiae* eaeque *spirituales*; nam teste conscientia, anima nostra est subiectum, quod cum corpore habet mutuam relationem et diversas affectiones, ita tamen, ut sibi permaneat identica. Porro ut harmonia et ordo universalis concipiatur, debet supponi subiectum commune omnium rerum, quod sit quasi vinculum spirituale totius universi, quo mutua rerum actio explicetur; nam actio transiens, praesertim in agentibus spiritualibus, concipi nequit. Hoc subiectum commune est ipse Deus, in quo igitur omnes res sunt, quin tamen cum ipso confundantur; neque inde Dei personalitas ullo modo destruitur. Illa rerum in Deo unitas concipienda est ad modum illius unionis, qua partes corporis nostri in nobis existunt, ut spiritus individuales.

3. In homine corpus et anima sunt distinguenda. Corpus constat ex atomis, monadibus spiritualibus inter se unitis; anima residet in cerebro et afficitur per organa corporis, ut sensationibus et conceptibus suis rerum naturam cognoscat, et actibus voluntatis corpus determinet. Phaenomena psychica nullo modo explicari possunt, ex motibus organicis, cum quibus nullam habent affinitatem; neque unitas conscientiae sine anima substantiali, spirituali concipi potest, unde et materialismus reiiciendus est et parallelismus physiologicus. Non autem sive ex natura animae sive ex eius valore certo probari potest, animam nostram vel saltem omnium animas esse immortales.

4. Voluntas nostra libera est; secus enim non posset esse ulla responsabilitas; principium moralitatis est delectatio quaedam spiritualis, consolatio conscientiae. Quaedam normae moralitatis statuuntur: energia voluntatis, intensitas affectus, pietas et benevolentia, consequentia, character, personalitas etc. Metaphysica iam docet, Deum debere existere ut principium mundi; sed eius sanctitas, bonitas, charitas ex religione deducendae sunt, et fidei cuiuscunque est, Deum symbolis quibusdam sibi repraesentare ad indigentiam cordis sui dummodo haec conceptio nulli veritati repugnet.

Quid sentiendum? 1. Lotze supponit principia idealistica quoad naturam cognitionis, praesertim idealitatem spatii et temporis, neque conceptibus per se valorem tribuit obiectivum. 2. Negat principium vitae in plantis et brutis. 3. Innixus falsa analogia ad naturam humanam, etiam res anorganicas, imo atomos habet pure spirituales et negat actionem transeuntem; destruit igitur naturam corporum et eorum activitatem materialem. 4. Non satis effugit periculum pantheismi, statuens Deum ipsum vinculum esse reale et commune subiectum omnium rerum, quod conscientiae nostrae contradicit. *immediatam* relationem inter corpus et animam nostram et res externas testantur. 5. Anima nostra totum corpus vivificat et pervadit, non residet in solo cerebro et ostenditur eam esse immortalem. 6. Delectatio spiritualis non est principium moralitatis, sed potius eius effectus; normae autem a Lotze statutae

neque sufficienter probantur, neque totam moralitatem comprehendere, neque satis efficaces pro omnibus hominibus esse videntur.

Systema philosophicum, quod Lotze constituit, praesertim suo tempore, gravitate, honestate, studio scientiarum adeo excelluit prae aliis, ut multi philosophi et theologi illud usque hodie amplecterentur vel saltem valde ad illud accederent; sic *Teichmüller, Sommer, Class, E. Pfeleiderer, Falkenberg, Baumann, Thiele, Glogau, Siebeck etc.*<sup>1)</sup>

#### X. Friedrich Paulsen, (natus 1846<sup>2)</sup>).

Scripta eius praecipua: *Einleitung in die Philosophie*, 1903<sup>1-13</sup>; *System der Ethik*, 1903<sup>6</sup>; *Immanuel Kant*, 1904<sup>4</sup> (*Frommanns Klassiker der Philosophie VII*); *Geschichte des gelehrten Unterrichtes*, 1896<sup>2</sup>.

*Paulsen*, ex anno 1893 professor Berolinensis philosophiae et paedagogiae, ipse se monismum idealisticum docere profitetur. Censet igitur:

1. Nos sensibus non percipimus corporum ipsorum qualitates, neque conceptu exprimimus nisi multitudinem rerum similium. Immo corpora ut extensa non existunt nisi in cognitione nostra („Ohne Wahrnehmung und Bewusstsein kein Körper“. *Einl.* 1901, p. 398; cfr. etiam *ibid.* p. 374; porro supra p. 106, nota.) Conceptus spatii, temporis, causalitatis, immo omnes formae necessariae cognoscendi per evolutionem decursu temporis paulatim a maioribus nostris sunt formatae et per hereditatem ad nos transmissae, ac proinde nobis nunc apparent a priori, sed olim a posteriori sunt acquisitae et consuetudine constantes effectae, ut Spencer docet. (Cfr. *infra* lib. III, c. III.)

2. Quum res cognosci non possint, nisi ad modum nostrae naturae, ipsis principium activum ad instar voluntatis nostrae est attribuendum, siquidem activitatem aliquam exercent. Res igitur in se ipsis omnes sunt spirituales, earum autem apparentia materialis non est nisi in sensibus nostris. Ut autem mutua rerum relatio et activitas explicari possit, substratum commune eis est supponendum, in quo omnia realiter identificantur; neque enim actio transiens concipi potest. („Es gibt nur ein einheitliches Wesen, mit einer einheitlichen in sich zusammenstimmenden Betätigung; die einzelnen Dinge sind nur Momente seines Wesens, ihre durch Wechselwirkung bestimmten Betätigungen sind in Wirklichkeit Ausschnitte aus einer einheitlichen Selbstbewegung der Substanz . . . Die Einheit aller kosmischen Bewegungen durch Wechselwirkung ist eine Spiegelung der innern Zusammenstimmung des einheitlichen Innenlebens eines geistigen All-Einen.“ *Einl.* p. 233 sq.; cfr. etiam *System d. Ethik*, 1900, I, p. 207 sq., ubi systema suum breviter exponit.) Hoc autem ens absolutum concipiendum est tanquam voluntas sensu latissimo accepta i. e. tendentia ad esse et ad vitam; inde totum systema vocatur „Voluntarismus“. Ex ente igitur absoluto per hanc tendentiam primitivam omnes res oriuntur per evolutionem immanentem, primum modo caeco („Die Urform des Willens ist blinder Trieb“; *System* p. 207), deinde in brutis

<sup>1)</sup> Cfr. Überweg-Heinze, IV, 282 sq.

<sup>2)</sup> Cfr. Baumann, *Deutsche und ausserdeutsche Philosophie*, 1903, p. 64; Überweg-Heinze, IV<sup>9</sup>, p. 294 sq. Gutberlet, *Der Kampf um die Seele*, 1903<sup>2</sup>, p. 92, 206, 389 sq.; *Ethik u. Religion*, 1892, p. 324. *Philos. Jhrb.* 1890, p. 90 sq.



et praesertim in homine producit cerebrum et fit videns et intelligens. („Die Intelligenz stellt sich als sekundäre Entwicklung, als ein Anwachs dar, wie ihre physiologische Erscheinung, das Nervensystem und Gehirn“. *ibid.*)

3. Anima humana, sicut et res ceterae, non est substantia (Einl. p. 384 sq.), sed est summa activitatis internae, quae quidem non est identificanda cum motibus nervorum et cerebri correspondentibus, sed sine mutua activitate coexistit cum illis motibus, quemadmodum docet parallelismus psychophysicus, et subsistit in ente absoluto. Per consequens non potest esse immortalitas *personalis*, neque libertas voluntatis sensu proprio, omnia enim fiunt ex ente absoluto necessario se evolvente. Porro vita singulorum hominum est accidens, et subsistit in anima populari, haec autem in anima humanitatis, haec deinde in anima mundi, haec tandem in ente absoluto. („Wie das ganze Seelenleben Substanz ist gegenüber dem einzelnen Bewusstseinsselement, so verhält sich das Individuelle zum Volksleben, wie ein Accidens zur Substanz. Das Volk oder die Volksseele ist nur in den Einzel-seelen, aber wieder nicht so, dass sie aus ihnen zusammengesetzt wird, sondern so, dass sie sie aus sich hervorbringt und in ihnen sich verwirklicht. Und wieder fügt sich ein Volksleben . . . dem Menschheitsleben ein, und mit diesem ist es eingeschlossen in das einheitliche Gesamtleben der Erde, dessen äussere Erscheinung die physische Erdgeschichte in den Umrissen beschreibt. Endlich aber fliesst alles Leben aus einem allumfassenden Leben, dem einheitlichen Leben Gottes . . . Gott ist die Substanz, das einzig wahrhaft selbständige, durch sich seiende Wesen, zu dem sich alles einzelne Wirkliche als unselbständiges Accidens verhält“. Einl. p. 388; cfr. System I, 403.)

4. Deus igitur apud Paulsen est substantia mundi eiusque evolutio; summus gradus huius evolutionis est homo, in quo Deus intelligens et sibi conscius redditur (System II, 207); initio enim non erat nisi voluntas caeca ad esse et vivere tendens. Deus non est *personalis*, si quidem non distinctus a mundo; unde Paulsen, statuens Pantheismum sive Monismum idealisticum. Monotheismum et Pantheismum aequiparat (System I, 400 sq.) — Sed unde religio et moralitas? Ex desiderio perfectionis et felicitatis. *Religio* enim est summa desideriorum alicuius gentis (System I, 392), quae in mundo aliquo transcendentia explenda sunt; eius actus sunt: humilitas respectu entis infiniti, et fiducia, ordinem moralem vigere (Syst. I, 268, 406); *morale* autem vocatur, quod ad felicitatem communem confert (*ibid.* I, 218). *Fidem* in Deum posse vocari fiduciam illam, qua certi sumus, bonum esse et causam et finem mundi, sive ordinem mundi esse moralem (System I, 396). Leges autem morales, quum omnia subsint evolutioni, non esse necessarias neque immutabiles, sed mutationem subire pro tempore et circumstantiis sive gentium sive singulorum hominum, unde non omnium eadem est lex moralitatis (System I, p. 21 sq.) *Mores* enim hominum obiectum obligationis determinant (*ibid.* 323 sq.), neque aliud est conscientia nisi cognitio et obligatio eius, quod in quaque gente *moris* est (*ibid.* 341). *Ius* est, quidquid civitas constituerit; sine societate ius nullum esset, et civitas est omnipotens quoad ius statuendum, neque ullum ius praeter ius civitatis (e. g. ecclesiae) esse potest (*ibid.* II, 512 sq.).

Quid sentiendum? 1. Reicienda est sententia Idealismi quoad cognitionem nostram, ac proinde ruit fundamentum totius systematis. 2. Falsa

analogia fretus, res omnes intrinsece eiusdem naturae esse, cuius nos simus, arbitratur; supponat igitur, quod esset probandum, non esse causam activitatis nisi voluntatem spiritualem; constat autem per eandem conscientiam, sentire et intelligere essentialiter differe a velle, et corpus et animam invicem agere; unde parallelismus psychophysicus non adest, sed mutua causalitas. 3. Destruit obiectum scientiarum naturalium sc. corpus eiusque motus materiales et activitatem transeuntem. Profecto leges cogitandi et volendi in ente absoluto *spirituali* nullo modo possunt confundi cum legibus physicis e. g. gravitatis, proiectionis, absorptionis, refractionis lucis etc. („Eine wirkliche Durchführung der idealistischen Denkweise ist nur möglich, wenn man auch auf jene Schatten des körperlichen Stoffes (Atome) verzichtet und physische Vorgänge ebenso als frei in der Wirklichkeit schwebend betrachtet, wie wir uns gewöhnt haben, die Himmelskörper als frei im Raum schwebend vorzustellen“. Einl. p. 394); immo putat, corpora coelestia posse considerari tanquam nodos centrales cerebri entis absoluti. 4. Supponit voluntatem primitivam omnino caecam et modo Darwinistico res mundi producentem; unde ordo et fines in rerum natura etiam anorganica explicari non possunt; et immerito Paulsen hanc finalitatem negat, quam aliis locis concedit. Deinde constat, cognitionem praecedere voluntatem, ut obiectum habeat, non autem voluntatem producere intellectum tandem in homine („Anwachs“). 5. Immerito negat, animam humanam esse subiectum substantiale conscientiae i. e. activitatis psychicae, neque rationes ab ipso propositae (Einl. p. 384 sq.) quidquam probant, ut in psychologia ostendemus. — Idem dicendum est de animae immortalitate et libertate (System I, 413 sq.). — Sententia parallelismi psychophysici repugnat conscientiae nostrae mutuam *causalitatem* inter corpus et animam testanti, quemadmodum parallelismus metaphysicus contradicit experientiae externae et scientiis naturalibus, quae actionem mutuam eamque immediatam inter res ipsas statuunt, e. g. globus alium propellens. Porro si haec sententia vera esset, Ens absolutum revera esset ultimum principium operandi in nobis; sed conscientia nostra testatur, nos ipsos operari, nos errare, peccare, responsables esse iudici supremo. 6. Deus non potest confundi cum mundo universo; nam ut ens infinitum excludit omnem compositionem, multiplicitatem, mutationem, evolutionem, ut in fine ontologiae et in theodicea probatur. Porro Deus non potest concipi nisi *personalis*; secus nobis inferior esset, praesertim quum in homine tandem, ut Paulsen somniatur, fiat sibi conscius et intelligens. Quid nobis prodesset eiusmodi Deus, qui nos neque cognoscit neque audit, immo a nobis est dependens? Certe hoc modo nulla religio potest concipi, quae semper et apud omnes gentes consistebat in agnitione et cultu Dei tanquam omnipotentis, omniscientis auctoris, gubernatoris et finis mundi. — Accedit quod Paulsen negat mysteria et dogmata christiana, eaque habet tanquam figmenta (System I, 409 sq.). Certe essent figmenta, nisi melius probari possent, quam phantasiae a Paulsen nobis propositae.

7. Norma honestatis a Paulsen statuta („Allgemeine Wohlfahrt“) est reprobanda; effectum enim eumque partialem actus moralis confundit cum eius norma, quae proxime est natura humana, ultimo divina natura eiusque perfectio; deinde non potest probare, quale sit *verum* bonum hominum, non



solum existimatum, nisi aliam normam honestatis supponat; porro leges morales habet mutabiles, neque easdem pro omnibus, quare moralitatem arbitrio hominum permittit; denique obligationem ad vitam honestam repetit ex moribus hominum, pro tempore et circumstantiis variabilibus; non videt etiam mores supponere normam, ex qua eorum honestas diiudicetur. Numquid omnes mores sunt boni et honesti? Nos vero cum hominibus omnibus, falsa philosophia non imbutis, obligationem formaliter ex Dei supremi legislatoris voluntate derivamus. Tandem ius formale ex societate et lege humana explicat, ita ut libertatem personalem civium destruat et civitatem reddat omnipotentem. Nulla igitur esset norma, qua legum civilium quoque iustitia et honestas diiudicetur, et, si esset, supponitur ius civitatem antecedens i. e. ius naturale, quod non potest fundari nisi in Deo personali, auctore et gubernatore universi mundi.

Quamvis igitur in libris suis Paulsen multa bene acuteque dicat, eius tamen philosophiam in genere omnino reprobamus; quoad substantiam concordat cum sententiis a Schopenhauer et E. v. Hartmann propositis, excepto pessimismo, quum Paulsen bonum speret in mundo praevalere, immerito quidem ex eius sententia, quum ens absolutum per se sit voluntas *caeca*, et homines, in quibus fit sibi conscius, ex natura sua, et conscientia nostra et historia teste, magis in vitia quam in virtutem inclinentur, unde ex eius systemate pessimismus melius intelligeretur, quam optimismus.

### XI. Wilhelm Wundt (natus 1832).

Scripta eius praecipua: Vorlesungen über Tier- u. Menschenseele, 1898<sup>3</sup>; Grundzüge der physiologischen Psychologie, 3 vol., 1904<sup>5</sup>; Logik, 3 vol., 1895<sup>2</sup>; Ethik, 1892<sup>2</sup>; System der Philosophie, 1897<sup>2</sup>; Völkerpsychologie, I, 1900; Grundriss der Psychologie, 1902<sup>5</sup>; Zeitschrift: Philosophische Studien seit 1881. Cfr. König, Wilh. Wundt als Psychologe und als Philosoph, 1902<sup>2</sup> (Frommanns Klassiker XIII).

Wundt, primum medicinae studens et physiologiae, deinde philosophiae operam dedit. Fuit professor physiologiae in Heidelberg, deinde philosophiae in Zürich, tandem ex anno 1875 in Leipzig, ubi laboratorium primum Psychologiae experimentalis (Psychophysicae) instituit, ad cuius exemplar deinde in multis academiis, praesertim in America septentrionali, similia laboratoria fuerunt erecta.<sup>1)</sup>

1. Tres gradus statuit cognitionis non essentialiter inter se differentes: sensationem, intellectum, rationem. *Sensatione* affirmat nos obiectum reale apprehendere, immo in ipsa apprehensionem et obiectum apprehensum idem esse (Logik<sup>2</sup>, I, 424; cfr. supra p. 164 et 169 textus in notis citatus). Quum autem simul affirmet, subiectum non nisi se ipsum cognoscere posse (System d. Phil.<sup>2</sup>, p. 137), immo hoc axioma esse philosophiae modernae (Logik<sup>2</sup>, I, 426), patet, hoc obiectum experientiae non esse notam rei a nobis distinctae, sed aliquam conscientiae nostrae determinationem. Accedit, quod per reflexionem intellectus obiectum et subiectum, quae in experientia unitatem

<sup>1)</sup> Cfr. Mercier, Les origines de la psychologie contemporaine, 1897 p. 280 sq.

realem constituebant, distinguantur, et quae soli subiecto conveniunt, ipsi tribuantur, sc. qualitates sensibiles et cum ipsis etiam spatium et tempus, in quantum sensibus apparent.<sup>1)</sup> Itaque intellectum destruere illam realitatem primitivam experientiae, neque immediate res ipsas intelligere („Das Vorstellungsobjekt hat aufgehört, reales Objekt zu sein und hat nur noch die Bedeutung eines subjektiven Symbols, das auf einen realen, nach Stoff und Form nur begrifflich zu bestimmenden Gegenstand hinweist“. System<sup>2</sup>, 145).

2. *Intellectus* igitur, facta experientia, rerum nexum et ordinem intelligere nititur conceptibus universalibus substantiae, causalitatis, finis. Iam vero conceptus substantiae tanquam subiecti permanentis, immutabilis rebus materialibus convenit secundum legem constantis materiae, non vero phaenomenis psychicis, quae continue mutantur. Causalitatem igitur in rerum natura docet esse *substantialem* et fundari in principio aequivalentiae energiae; in phaenomenis psychicis autem causalitatem esse *actualem* et fundari in principio finalitatis indeque resultare novam energiam, in causa neque contentam neque intentam (Heterogonie der Zwecke), ita ut evolutio infinita inde oriri possit.

3. *Ratio* autem humana, non contenta rerum cognitione, earum primam causam et finem ultimum investigat, idque innixa principio fundamentali mentis nostrae: rationis sufficientis. Hoc modo tres ideae formantur, quibus omnes conceptus subordinantur: *Idea cosmologica*, quae ex una parte elementum absolute indivisibile (atomum = Atomkraft), ex alia parte infinitam totalitatem (spatii et temporis, materiae et causalitatis) exprimit. *Idea psychologica*, quae omnia phaenomena conscientiae ad puram voluntatem (apperceptio), tanquam ultimum elementum primitivum, reducit, ex alia autem parte voluntati generis humani (Gesamtwillen) subordinat. *Idea ontologica*, quae, proficiens ex primitiva unitate subiecti percipientis et obiecti percepti in experientia, unitatem omnium rerum statuit, quae idea Dei exprimitur.

4. Anima igitur humana non est substantia, sed summa actuum conscientiae; unitas huius conscientiae efficitur per apperceptionem i. e. per actum voluntatis, qui omni activitati subest. Nam cognitio ut activitas est ipsa voluntas et leges logicae sunt leges ipsius voluntatis („Die logischen Denkgesetze sind als Gesetze des Willens aufzufassen“; Logik, I, 79. „Der Wille . . . ist also die Intelligenz selbst, und wegen dieser Identität von Wille und Verstand ist denn auch völlig sinnlos, von einem unbewussten Willen zu reden.“ Logik<sup>2</sup>, I, 555.) Anima igitur proprie constituitur per systema aliquod actuum voluntatis (voluntarismus psychologicus), cuius expressio externa est corpus eiusque organa. Quum autem mutua causalitas inter phaenomena physica et psychica intelligi nequeat, parallelismus psychophysicus est statuendus.

5. Quum voluntas sola ut principium activum nobis cognita sit, etiam res externae intrinsece voluntate (Trieb, Gefühl, Wille) constituuntur, siquidem agunt et patiuntur; passio autem est voluntas repressa et impedita.

<sup>1)</sup> Sic affirmat: „Unser Körper ist eine Anschauung, also ein Erzeugnis des Geistes, niemals eine selbständige Realität . . . „Unser Ich ist uns in der räumlichen Auffassung als unser Körper gegeben“ (cfr. Baumann, Deutsche und ausserdeutsche Philosophie, 1903, p. 53).



Constat igitur mundus universus ex voluntatibus activis sive unitatibus volitivis („aus einer Mannigfaltigkeit unter sich verbundener Ereignisse“ — voluntarismus metaphysicus), quae voluntas in organismis sibi organa procreavit per legem energiae crescentis et heterogoniae finis; res igitur possunt considerari tanquam voluntatis actus materialisati sive mechanisati. Quia vero omnes res inter se habent mutuas relationes, debent inesse in eodem principio absoluto, quod non potest concipi nisi tanquam voluntas absoluta. „Die durchgängige Wechselbeziehung zwischen Physischem und Psychischem führt zu der Annahme, dass, was wir Seele nennen, das innere Sein der nämlichen Einheit ist, die wir äusserlich als den zu ihr gehörigen Leib anschauen. Diese Auffassung des Problems der Wechselbeziehung führt aber weiterhin unvermeidlich zu der Voraussetzung, dass das geistige Sein die Wirklichkeit der Dinge, und dass die wesentlichste Eigenschaft derselben die Entwicklung ist. Das menschliche Bewusstsein ist für uns die Spitze dieser Entwicklung; es bildet den Knotenpunkt im Naturlauf, in welchem die Welt sich auf sich selbst besinnt. Nicht als einfaches Sein, sondern als das entwickelte Erzeugnis zahlloser Elemente ist aber die menschliche Seele, wie Leibnitz sie nannte, Spiegel der Welt.“ (Physiol. Psychologie, 1880, II, 463).

6. Mundus igitur est apparentia finita voluntatis absolutae, quae tanquam pura activitas est concipienda (Actualismus et Voluntarismus), nobis tamen incognita et nomine Dei designata. Deus igitur non est personalis, siquidem a mundo non realiter distinctus est. Neque vero Deus cum mundo prorsus coincidit (est species Panentheismi); non tamen habet conscientiam nisi in hominibus, quia conscientia supponit substratum materiale (cerebrum). Anima humana, utpote non substantialis, non est immortalis, neque libera. Honestum est, quod progressum generis humani promovet; obligatio ex moribus orta est; ius omne per leges civitatis constituitur, praeter quod nullum aliud (e. g. ecclesiastica) esse potest.

Quid sentiendum? 1. Reicienda est sententia Idealismi quoad cognitionem nostram, quae consequenter deducit vel ad Scepticismum vel ad Solipsismum (cfr. supra p. 106; porro Wundt, System<sup>2</sup>, 158). Deinde quum conceptibus nostris universalibus nihil in rebus commune subesse censeat, est Nominalista vel Conceptualista. Immo videtur obiectivitatem conceptus omnino destruere, quum eius unitatem cum Kant ex „apperceptione“ i. e. ex voluntatis imperio („Machtspruch“, Logik I, 467) et actum cognitionis tandem a voluntate se continuo evolvente et mutante derivet; quare obiectivitas, necessitas, immutabilitas veritatis destruitur; omnis enim veritas erit relativa, prout voluntas per se caeca sese evolverit.

2. Substantialitas et causalitas in phaenomenis psychicis quoad essentiam non alia est atque in rebus physicis, nisi quod causalitas in his sit per actionem transeuntem, in illis per immanentem. Porro conscientia nostra testatur, actiones intelligendi et volendi influxum realem exercere in membra corporis nostri, et affectiones corporis etiam ipsam animam afficere e. g. in dolore, somno etc.; falsa igitur est sententia parallelismi psychophysici. Denique quum terminum sensationis non habeat realem, sed mere idealem, non potest concludere rem externam existere, ac proinde ruit totum fundamentum cognitionis nostrae.

3. Non licet, per analogiam concludere ex natura voluntatis nostrae ad naturam rerum aliarum; est transitus in aliud genus; concludit enim ex effectu certo ad causam determinatam modo affirmativo, quod non licet, siquidem idem vel similis effectus potest esse ex diversa causa. Neque omnis activitas animae nostrae ex voluntate est repetenda; immo actus cognoscendi debet eam praecedere, ut obiectum habeat; ipse enim Wundt affirmat, non posse esse voluntatem inconsciam, ac proinde concludere deberet, omnes res etiam intelligentes esse. Porro si actus intelligendi realiter idem essent ac volendi, tunc origo, obiectum, leges utriusque actus deberent esset eadem, quod tamen repugnat et conscientiae nostrae et persuasioni hominum, praesertim quoad libertatem voluntatis. Neque potest actus intelligendi repeti ex mutua relatione actuum volendi; nam hi, ut possint esse, supponunt obiectum tanquam finem actionis, quod non potest exhiberi nisi per cognitionem. Deinde actus voluntatis non sunt idem, quod organa nostra, solum diversa sub diversa consideratione. Tandem intelligi nequit, quomodo voluntas nostra possit organa producere; neque motus reflectorii, neque instinctus brutorum ex actibus intelligentibus saepe repetitis explicandi sunt, sed ex indole naturae. Neque experientia ullâ probatur, actus organicos semper plus efficere, quam intendunt; immo per experientiam ipsam videtur constare, nos quasi semper minus consequi, quam volumus et intendimus; esset effectus, qui non haberet causam proportionatam. Quod si res organicae intrinsece crescunt, ratio est nutritio per alias res, neque solum crescunt, sed etiam *decrescunt*.

4. Naturam omnium rerum voluntate constitui, certe probari nequit, praesertim quum leges activitatis corporum prorsus differant a legibus voluntatis nostrae. Ratio adducta, causam, ut possit quidquam efficere, debere ingredi in effectum ipsum („Der Grund muss in die Folge eingehen“),<sup>1)</sup> si probaret, ostenderet, artificem debere esse in artefacto e. g. in machina, Wundt in libris ab eo conscriptis; confundit causam logicam cum causa ontologica, physica. Accedit, quod argumentum nititur falso supposito, unitatem rerum debere explicari ex earum *identitate*, quum unitas etiam alio modo e. g. per causam extrinsecam haberi possit, e. g. artifex partes machinae ad unitatem componens. Multo minus intelligi potest, principium omnium rerum esse voluntatem aliquam absolutam, puram, i. e. nihil volentem, quae tandem aliquid produceret, intrinseca sua evolutione, mirabiliter ordinatum iam in rebus anorganicis, nisi dicas plantas et bruta, immo et lapides primo fuisse intelligentia praedita, quam deinde amiserint, quod Wundt revera videtur innuere (Logik I, 568, 579, 650). Deinde supponit, ex evolutione eiusdem principii res omnes ortas, vitam ex materia anorganica natam esse, quae omnia nullo modo probantur, et repugnant experientiae. Porro ante omnem evolutionem voluntas pura erat i. e. sine subiecto substantiali et sine obiecto certo, ac proinde non erat actualis, sed pura potentia; debuit igitur se ipsam ex potentia ad

<sup>1)</sup> System<sup>2</sup> p. 434: „Wie überall der Grund in der Folge nur dadurch wirksam ist, dass er selbst in sie eingeht, so ist auch die Gottesidee nur durchführbar, wenn Gott als *Weltwille*, die Weltentwicklung als Entfaltung des göttlichen Willens und Wirkens gedacht wird.“



actum i. e. ad existentiam deducere,<sup>1)</sup> quod repugnat principio causalitatis. Denique evolutio aut erat ab aeterno aut in tempore; si primum, finis mundi i. e. evolutionis iuxta legem *entropiae* iam adesse deberet; sin alterum, nulla ratio ortus in tempore exhiberi potest; sed hoc esset contra principium rationis sufficientis, quod Wundt omnium habet maxime fundamentale. Immo ne prima quidem voluntas ante evolutionem, quae tamen realis erat, concipi potest, si quidem ipsa sola fuisset, neque sine aliis voluntatibus repraesentatio esse potuisset in systemate Wundt, ac proinde nulla voluntas *actualis, concreta* concipi potest, neque ulla rerum origo.

5. Deum negat personalem, sibi conscium, eumque quasi dependentem facit ab hominibus, in quibus conscientiam acquirit et intelligentiam. Ceterum natura infiniti repugnat omni mutationi et evolutioni. — Honestum si collocatur in progressu humano promovendo, supponit aliam normam, secundum quam diiudicandum est, quid sit verus progressus, quis bonus sit, quis malus. Idem dicendum est de obligatione, si ex moribus, et de iure, si ex sola legislatione humana derivatur (Logik II, 533, 545). Accedit, quod haec norma moralitatis hocque motivum pro singulis temporibus et populis sit variabile, non habeat efficaciam ad voluntatem omnium determinandam, neque explicet valorem infinitum et obligationem absolutam honestatis. Neque Wundt evitat speciem aliquam ontologismi, si cum Paulsen animam nostram putat contineri *realiter* in anima vel vita familiae, populi (Gemeinsamkeit von Religion, Sprache, Sitten), humanitatis, hanc unitatem logicam (vel moralem) faciens realem (Logik<sup>2</sup> II, 294, System<sup>2</sup>, p. 389 sq.); hoc modo dignitas et personalitas individuorum destruitur, praesertim quum Wundt libertatem humanam neget eiusque conscientiam ex eo explicet, quod non memores simus omnium motivorum actus voluntatis, quia motiva haec ex tota vita nostra antea, immo ex evolutione mundi universi oriantur. — Quamvis igitur Wundt scientia et auctoritate inter multos excellat, eius tamen doctrina in genere nobis respicienda esse videtur. (Cfr. Volkelt, Philos. Monatshefte, 1891, p. 257 sq.; Baumann l. c. p. 48 sq.; O. Külpe, l. c. 86 sq., qui fundamenta systematis examini subiciunt; praesertim vero Mercier, Origines de la psychologie contemporaine, 1897, p. 170—218; Gutberlet, Philos. Jhrb. 1888, p. 346 sq.; 1890, p. 268 sq.; 1891, p. 281 sq.; 1903, 365; 1904, 325, 385; 1905, 144 sq.; Der Kampf um die Seele, 1903,<sup>2</sup> p. 75, 99, 411 sq.; Ethik u. Religion, 1892, p. 223 sq.)

Hodie multi eum sequuntur in psychologia experimentalis, apud nos praesertim Müller, professor Göttingensis, et Külpe, professor Würzburgensis; Credaro et Villa eius philosophiam in Italia propagare nituntur. — Sententiam fere similem de natura rerum, in quantum elemento volitivo (Ideae motrices-idées-forces) constituuntur et evolutioni subsunt, Fouillée statuit (cfr. Mercier, l. c. 146—170). Idem fere dicendum est de Höfding, professore in Kopenhagen. — Non tamen desunt, qui Wundt etiam in quaestionibus psychophysicis contradicant, ut Hering, W. Heinrich, Münsterberg, Ziehen, Ebbinghaus (in periodico suo: Zeitschrift für Psychologie und Physiologie der Sinnesorgane). Cfr. Gutberlet, Kampf u. d. Seele, 22 sq.

<sup>1)</sup> „Jene Willenseinheiten, auf welche der ontologische Regressus zurückführt, sind nicht tätige Substanzen, sondern *substanzerzeugende Tätigkeiten*.“ (Cfr. Philos. Jhrb. 1891, p. 343).

## XII. Neo-Kantiani.

Kantii systema per pantheismum subiectivum Fichtei, obiectivum Schellingii, logicum Hegelii, qui omnes ex eius doctrina ortum duxerunt, quasi ad absurdum deductum est. Medio saeculo elapso iterum revixit, praesertim opera et studio Alberti Lange († 1875), qui libro suo: „Geschichte des Materialismus“ (1866<sup>1</sup>—1898<sup>6</sup>) criticismum Kantii restaurat, docens, nos subiectiva sensuum perceptione mundum visibilem producere, nobisque formas cognoscendi inditas esse. Hoc modo putat, materialismum tunc grassantem refutari. Sed ei concedit, nullum obiectum mentem transcendens cognosci posse, omnemque metaphysicam esse reiiciendam. Religionem non esse nisi productum phantasiae, ex quadam indigentia cordis nostri ortum.<sup>1)</sup> Cui multi accedunt, qui vocantur *Neokantiani*, plus minus doctrinam Kantii recipientes, praesertim axioma illud omnis Idealismi, neque a priori evidens neque ullo modo testimonio conscientiae congruum: nos immediate non cognoscere nisi affectionem conscientiae nostrae: Jürgen Bona Meyer († 1897), olim professor Bonnensis, Herm. Cohen et Paul Natorp, professores Marburgenses; porro Karl Vorlaender, Franz Staudinger, E. Bernstein, L. Woltmann, qui theoriam *socialisticam* ex doctrina Kantiana deducunt. — Alii vocantur *Semi-Kantiani*, quia ex parte sententias Kantii sequuntur, ut Tobias, Krause, Lasswitz, Liebmann, Volkelt, Windelband, Fr. Schultze, necnon aliqui Theologi protestantes, ut Ritschel, Herrmann, Kaftan, Lipsius; tandem multi scientiae naturalis periti, e. g. Helmholz, Hertz, Zöllner etc. — Multi nostro tempore operam dant operibus Kantianis sive edendis sive commentandis, ut Kehrbach, B. Erdmann, Vaihinger, Reike, Arnoldt, E. Adikes, Krause, Heinze aliique. Ex anno 1896, auctore H. Vaihinger, folium periodicum „Kantstudien“ publicatur, in quo omnia, quae ad Kantii vitam et scripta pertinent, accurate inquiruntur, ut philosophia nostri temporis, in tot diversas partes distracta, commune centrum habeat, quae tamen intentio, fatente Paulsen, usque modo spem fefellit<sup>2)</sup>; neque mirum, quum omnes scholae philosophicae aliquo modo ad Kantii sententias provocare possint, immo plerumque ex ipsis ortae sint.

Neque solum in Germania, sed etiam in aliis nationibus Kantii philosophia tum ipsius tempore, tum etiam nostra aetate propagabatur. Sic in Anglia eius influxum subierunt: Hodgson, Th. Green, E. Caird, Bradley, Adamson et alii. In Italia praesertim: Testa, Cantoni, Tocco, Barzellotti, Turbiglio, Chiapelli, Faggi aliique. In Gallia: Renouvier, Pilon<sup>3)</sup>, Lachelier, Boutroux Sabatier<sup>4)</sup> aliique. Quid autem ex hac restauratione philosophiae Kantianae

<sup>1)</sup> Überweg-Heinze, IV, 217—230; L. Busse, Die Weltanschauungen der grossen Philosophen der Neuzeit, 1904 (Aus Natur und Geisteswelt, B. 56). — Contradictiones et consequentias huius systematis optime ostendit E. v. Hartmann apud Drews, 1902, p. 116 sq. <sup>2)</sup> Philosophia militans, 1901, S. 65.

<sup>3)</sup> Edit folium periodicum: L'année philosophique, ex anno 1890. Folium periodicum: Revue de Métaphysique et de Morale, ex anno 1893 publicatum, criticismum Kantianum redolet, praesertim eius collaboratores: Remacle, Weber, Bergson etc. Cfr. Mercier, Origines etc. p. 254 sq.

<sup>4)</sup> Cfr. Überweg-Heinze IV, p. 325, 471, 549 sq. Weiss, Kant und das Christentum, p. 88 sq.



sequatur, Payot, ipse quoque admirator Kantii, enuntiat (De la Croyance, 1895, p. 32): „La psychologie est venue rejoindre par la voie inductive la conception kantienne, elle explique tout du dedans, et la réalité ne peut plus être pour nous que la broderie formée par nos sensations auditives, visuelles, tactiles, etc. sur une trame de sensations musculaires de présence constante, nécessaire pour nous, trame qui forme le fond solide et résistant de la notion d'objectivité (p. 32) . . . Nous avons ainsi abouti à un scepticisme intellectuel irrémédiable, et rencontré, par une méthode purement psychologique, la conclusion de la Critique de la raison pure de Kant.“ (p. 247). Similiter *Louis Weber* (in opere suo novissimo: Vers le positivisme absolu par l'idéalisme 1903) negat omnem realitatem praeter phaenomena conscientiae. Quod idem multi apud nos, ut Phaenomenalistae: *M. Kaufmann, Schubert-Soldern, Schuppe*; porro ex schola Avenarii: *Willy, Wahle, Gomperz*. Cfr. Gutberlet, l. c. 3 et 53 sq.

### Caput III: *Ideaе primitivae oriuntur ex sensatione per vim abstractivam mentis.*

Ostendimus, ideas primitivas non oriri ex causis nobis mere extrinsecis, ut sunt sensatio, testimonium hominum, intuitio Dei. Porro demonstravimus, eas neque ex causis nobis prorsus intrinsecis derivari posse, sive ex ideis innatis, sive ex propria mentis nostrae activitate. Quum autem causam efficientem habere debeant, patet, non superesse nisi ut orientur ex causis partim nobis extrinsecis, partim intrinsecis. Unde ostendendum est: 1<sup>o</sup> fontem extrinsecum, ex quo ideae nostrae primitivae oriuntur, esse sensationem tanquam causam materialem idearum; 2<sup>o</sup> causam autem eas formantem esse vim quandam mentis naturalem abstrahendi ab apparentiis sensibilibus et percipiendi rerum apparentium essentiam (causa efficiens idearum); 3<sup>o</sup> quomodo sensatio in ideis formandis concurrat (relatio inter causam materialem et efficientem idearum).

#### § 1. De initio cognitionis intellectualis per sensationes, sive de eius causa materiali.

*Thesis VI: Sensatio nobis necessaria est ad ideas primitivas formandas.*<sup>1)</sup>

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Nondum definimus, quomodo sensatio necessaria sit ad ideas formandas, et a fortiore non cum sensitis affirmamus, eam esse unicum fontem idearum; sed statuimus, sensationem praebere intellectui materiam necessariam ad *primas* ideas formandas eumque aliquo modo excitare ad cognoscendum.

2<sup>o</sup> Iam *Heraclitus* et *Eleates* testimonium sensuum negligebant, soli rationi veram cognitionem tribuentes; *Plato* sensus potius impe-

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thomam apud Cosm. Alamannum, I, qu. 28, art. 2. Quaest. disp. de mente art. 6.

dimento esse intellectui putabat, cui *Neoplatonici* consentiunt. Neque satis tribuunt sensationi, qui, ut *Cartesius, Malebranche, Leibnitzius* et moderni *parallelistae* et *idealistae*, eam solum occasionem vel conditionem cognitionis intellectualis habent.

*Prob. 1. Ex natura hominis:* Ita natura nostra sapienter constituta est, ut ex parte sensitiva et intellectiva coalescat et pars sensitiva ordinata sit ad partem rationalem adjuvandam et perficiendam. *Atqui* si sensatio nihil conferret ad cognitionem intellectus, esset inutilis ad vitam hominis superiorem, immo potius esset maximo impedimento, animam intellectualem ab obiectis mere spiritualibus sibi propriis toties avocans ad phaenomena sensibilia et appetitui inferiori praebens obiecta sensibilia hominibus saepe obnoxia. Sensatio autem non potest intellectui exhibere obiecta ei proportionata, immaterialia, i. e. obiectum formale mentis. Neque sufficit, ut sit sola conditio sive occasio pro actu intelligendi; nam neque conditio neque occasio influunt in effectum ipsum producendum, neque actionem determinant sive specificant, sed ad summum faciunt; supponunt igitur tum obiectum, tum causam adaequatam actionis. *Ergo* sensatio debet saltem exhibere et afferre obiectum materiale sive materiam cognitionis intellectualis.

2. *Ex natura intellectus:* Intellectus noster a) ex se est indifferens et indiget determinatione, ut exeat in actum; b) ex se nullum habet obiectum cognitionis; secus enim semper actu intelligeret; c) ostendimus, eum neque habere ideas innatas, neque ex propria activitate obiectum producere posse. *Atqui* probavimus, intellectum a Deo neque immediate excitari ad cognoscendum, neque obiectum cognitionis recipere; neque verbis vel institutione humana eum excitari et doceri, nisi iam ideae praecesserint in mente. Neque intellectus immediate per se obiecta materialia percipere potest, quia est immaterialis ac proinde ab obiecto materiali determinari nequit, neque obiectum tale est ei proportionatum. *Ergo* non restat, nisi ut intellectus percipiat res materiales, quae sunt primum et proprium eius obiectum, per sensationes sive externas sive internas.

3. *Ex factis:* Constat a) obiectum primum, proprium et adaequatum intellectus non esse res pure spirituales, sed rationes immateriales, universales in rebus materialibus, individuis, ut infra dicemus; b) quando sensus deficit, etiam ideae obiectorum ad illum sensum spectantium deficiunt; laesa certa parte cerebri etiam quaedam ideae saepe retineri non possunt; phantasiâ perturbatâ etiam ideae mentis aliquo modo confunduntur, neque iam modo debito subsunt mentis reflexioni<sup>1)</sup>; c) conceptus nostri et nomina rerum

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 84, a. 7, c.